Opuscula

MONS
Visionis Æternæ
in
MONTE KONJUSZA
PERILLUSTRI olim CLARISSIMO
&
ADMODUM REVERENDO DOMINO,
D. M. STANISLAO KUTLINOWSKI,
Utriusque Juris DOCTORI, & PROFESSORI, Ecclesiarum, Collegiatæ SS. OO. Cracoviæ ARCHIDIACONO, Konjuszensis PRÆPOSITO, Contubernii Philosophorum PROVISORI, Iudiciorũ Consistorii Generalis Cracov: ASSESSORI, Viro de Republica literaria Meritissimo, post depulsam mortalitatis Ejus nubem
PRÆPARATUS,
dumq; Ejus mortales exuviæ in Ecclesia Collegiata SS. OO. Cracoviæ, non sine gravi mærore ab Ordinibus Academicis tumularentur, lugubrî pennâ
Per
M. ANDREAM LIPIEWICZ, Philosophiæ Doctorẽ, Matheseos Professorẽ, Geometrã Iuratum, ad perpetuam tanti Viri memoriam
DEMONSTRATUS.
Annô Domini MDCCXLVII. *Die 6. Maii*

CRACOVIÆ TYPIS UNIVERSITATS.

Perillustri Clarissimo & Admodùm Reverendo Domino

D. M. ADALBERTO MICINSKI,

Utriusq; Juris DOCTORI & PROFESSORI, Ecclesiarum, Collegiatæ SS. OO. Cracoviæ CUSTODI, Parochialis in Luborzyca PRÆPOSITO,

Ultimæ voluntatis ejus Executori,

Domino Mecænati & Protectori meo Amplissimo.

A*D magnitudinem doloris Tui & hic Mons Visionis spectat.* PERILLVSTRIS CLARISSIME DOMINE, PROTECTOR AMPLISSIME. *Mons hic solo affectu turget, ipsâ amicitiâ supereminet, à Te avelli nequit, Cujus Cor Gigas occupavit dolor. Amicum* STANISLAI *pectus parte sui meliore superstes, profundius in animo Tui, quam in marmore sculpi prætendit, ad quem post funera redit, à quo vivens recessit nunquam. Vinculum hoc mutuæ voluntatis animus conjunctissimus posuerat, cui satis erat fidissimo & integerrimo cordi Tuo se concredidisse totum, qui candidissimum pectus Tuum, legum servandæ amicitiæ retinentissimum toto vitæ suæ probavit tractu. Conserva eum quem intimiùs dilexisti in animo Tuo, inter communes lacrymas hoc unum ei ad publicum solatium erit, quòd ob eximia decora Tua, quibûs Ecclesiam, quibûs Patriam illustras togatam, & ob amorem Tuum laudatissimum ab omni posteritate æternum noscetur. Perennabit ille cum summis laudibus Tuis summa virtute, sapientiâ & authoritate conspicuus, vivet immortali vitâ pro quo non marmora aut saxa, sed cor Tuum loquetur. Parce si alicubi magnitudini doloris exprimendæ peperci, consultò id factum, ne in viscera amantis, qualia Tua sunt cum Tyranno dolore sævirem. Inter sacraria pectoris Tui Montem Visionis colloco, ut in corde Tuo perennet suaviter, in cujus manibus suprema cordis ejus quievit voluntas. Suppleant merita Tua, Protector Faventissime dispendium vitæ, qui tot virtutibûs, meritis refulges, quot Sol radiis, quot igneis lampadibus Cœlum.*

MONS
Visionis Æternæ.

Paradoxum est:

Res dum desinunt, videri;
Soles dum occidunt, oriri.
Inimica hæc sibi sunt
Lux & tenebræ,
Unum aliud tollit.
Tenebriones cum Fulgentiis,
Aquilæ non sociantur cum noctuis;
sæpiusq; Maximos in minimos,
Olympos degenerari in athomos,
Oceanum desinere in guttas,
quàm tenebras Regiam Solis tenere
compertum.
Fatorum hæc malignitas est:
ferales dum accendit ignes,
Regnorum Soles & Illustrissimas Serenitates
funesta crudelitatis obscurat nube.
Majestatem.
quam per cadaverum struem sublimat,
sub cortinis oblivionis obscuram reddit.
Dies vitæ
virtutum & meritorum radiantes splendore
lugubri obducit squallore;
Illustres, imò pari cum Sole resplendentes jubare
noctem teterrimam subire cogit.
Funesti cineres
Dardanos dum sepeliunt,
& Pelasgam gloriam consepultam tenent;
rarusq; Phœnix!
qui de his sepulchralibus bustis reviviscat.

 Cæca

Cæca Lachesis, est!
sicut pari atrocitatis impetu ruit in omnes,
magnos minuendo, excelsos humiliando,
attenuando Atlantes,
palmas in cupressos, purpuras in Syrmata,
Avorum Ceras in fumum convertens:
sic & Serenissimos crassis involvit tenebrîs,
& Eminentissimos mortalitatis obducit nube,
quia luminibùs orbata.

Ferox Libitina!
inter morticinia vitam immortalem quærere non permittit,
adunca falce,
& florem vitæ succidit, & aciem oculorum hebetat.
Inter pharmaca Orbìs absynthia condit:
& sic
vermis est ad hederam,
tinea ad purpuras,
securis ad arborem vitæ posita.

Hæc vesana Prædatrix
Cedris in Libano, ne perennent:
quercubus in Dodona, ne æternùm durent:
laureis in Parnasso, ne fulmina expavescant:
non parcit;
Sylvestres Parcæ dantur & arboribus.
quid dicendum?
quomodo in nos sævit mortales,
quorum ipsum mortale nomen,
Coronata Capita vertiginem pati,
Paludatos Soles fatalem subire occasum
quis non videt?
singula mortem prospiciunt,
magna pars ejus jam præteriit,
& quidquid ætatis retro est, fatum tenet.

Certè
Mors Noverca luminis,
parturit tenebras: ut antipathica quadam virtute
à Majestate umbrarum Filios lucis opprimat;
quanquam sæpiùs
opacum ejus in Summis Viris diaphanum.

Etenim
magna Nomina commune quoddam cum Sole habent,
videri tantùm desinunt non lucere;
ferale bustum cunæ sunt natales Phœnicibus,
Sarcophagi in thronos cedunt Victoribus Mundi,
funerei panni viam sternunt,
ne post fata veneranda illorum humi serpat Majestas.
Nescit quippe oriunda Cœlis humari virtus,
Illustres animæ in umbra mortis clariores,
æternitati inseruntur, dum tumulo;
majores in occasu eruditi Soles,
Gigas animus & post fata magnitudinem non amittit;
umbra fatalis
lucem perpetuam accendit pulchriùs.
Ecce
Mons Konjusza
quanquam caligine mortis
Perillustris olim Clarissimi & Admodùm Reverendi Domini
D. M. STANISLAI
KUTLINOWSKI,
U. J. Doctoris & Professoris, Ecclesiarum, Collegiatæ SS. OO.
Cracoviæ Archi-Diaconi, Konjuszensis Præpositi, Contubernii
Philosophorum Provisoris, Judiciorum Consistorii Generalis Cracoviensis Assessoris,
Pastoris sui vigilantissimi sit circumfusus:
attamen
Mons æternæ visionis est;
quia
STANISLAUS
vixit Divinâ aurâ,
non per subitos fulgores aut halonum inania,
sed per incrementa lucis
ad claritatem vitæ tendebat;
nihilq; mortale gessit in vita.

 Vir

Vir conſcientiæ lucidæ, ſapientiæ claræ,
virtutis ſolidæ, vitæ & gloriæ illibatæ.
Calamus illi radius, fons luminis pectus nitidiſsimũ fuit,
fecitq; terſiſſimus cordis ejus & animi candor:
ut rectefactorum ſplendore
alternas inter umbras lucemq; neſciret vices.
Obſcura oblivionis nubila, glorioſis illuſtrabat geſtis;
communem mortalium noctem in ſplendores vertebat.
Sub primam vitæ junioris Auroram
bene adultam fortunæ diem reperit,
in cujus peramæna luce
virtus & honor Doctoralis
hæreditariam ſibi fixere ſedem.
Lux ejus obſcurum nunquam habuit,
Cujus ùt veſperum ita & primam Auroram
coruſcum radiantium virtutum illuſtrabat agmen.
In primo vitæ ortu
auſpicatam maturæ ſpei horam attulit,
ut oſtenderet: quantus ex primo flore fructus conijci,
quanta ex ortu novæ faculæ ſerenitas ſperari poſſet.
In tenero vultu grandia formabat indicia,
in prima illaq; raſa tabula futuræ vitæ imaginem
ipſis adumbrabat virtutibûs;
deditq; lucis præclaræ præſagium:
quali in teneris annis grandæva illaq; matura pietate,
quali verecundiæ morumq; purpuriſsô renitebit.
Unde etiam in occaſu
nec Ecclipſim, nec deliquium patitur,
& quanquam contra mortem immortali deliquerit gloriâ,
vivet tamen tam diu,
quàm diu in Cœlis fulgebit
pietas & virtus Illius.
Nempe
innocentiæ prototypon, virtutum encyclopædia,
vita Illius fuit,
monſtravit ſæpè exemplô:
poſse in adoleſcente Virum eſse, ſi adoleſcant & mores.
Hinc
Amphitheatrum omnigenæ probitatis ingreſſus,
glo-

gloriosum egit athletam:
serius namq; ludus virtutis exercitium.
Mentis intaminatæ ebur
& pura sinceritatis Crystallus
Divis parem, hominibûs penè superiorem effecit,
ast virtus & ardor discendi
ad culmen omnigenæ sapientiæ perduxit.
Ergo à signo Academicæ Crucis,
an potiùs
sub signo Sceptrifero laborem & vitam eruditam auspicatus,
STANISLAUS,
quâ prodromâ, de virtute in virtutem tutissimus ibat.
Summa scientiæ ejus claritudo
usq; ad Doctoratûs in Utroq; Jure Zenith pertinxit.
Cleanthis lucernam non jactavit
quamvis Noctes Atticas saperet;
turribus ad fastum ignes Pharios non accendit,
licèt spectatissimus ubiq; colluceret
Pöeta, Orator, Philosophus,
Doctor Juris.
Quàm fuerit in luce erudita profundus,
cortina modestiæ testis,
cujus dulces oris cultissimi gratias
probitas & innocentia cordis tegebat.
Animus ejus ad seria masculus,
ita se in Olympiis studiorum roboravit,
ut indefesso cursu ad bravium perfectionis permearet.
Cleantheîs lampadibûs
Atticas Noctes in dies convertit,
sciens bene:
nutrimentum generosi animi esse laborem.
Virtute & eruditione conspicuus
geminas in Philosophia obtinuit laureas,
& benè:
illis enim tantùm laureatos postes ingredi conceditur,
qui non à limine salutârunt Musas.

Egit semper quod laureatos decet,
ad utrumq; in Philosophia elevatus gradũ
præstantem se exibuerat Professorem,
idq; dexteritate, quæ optimis ingenita est,
alacritate, quæ studiosissimis mentibus convenit,
sedulitate, quâ libris impallescebat,
diligentiâ, quâ scholastico invigilabat labori.
Dulce illi erat
non solùm proprios sed & alienos portare æstus;
optimè gnarus,
non ipsi Atlanti Divinos deberi honores,
etiam Hercules inter Astra refertur,
quòd vicinum Athlanteo ponderi supposuerit humerum,
Phœbi more cùm aliis luceret
sinceritate docendi & candore Academico,
non sibi sed aliis vixit.
Bombiceam imitatus naturam,
operiebatur dum operabatur bonũ,
illius tamen privatus labor
in magnificis Dynastarum Satraparumve supereminebat lacertis,
nempe
SZEMBECIIS, SMIETANCIIS, ORACZEWSCIIS,
qui fontem suum quoties hauserunt, toties coronârunt.
Unde
tantam comitatem vitæ
talemve in educanda juventute Polona sollicitudinem,
perpendens animô
Præmiatrix laborum ac meritorum
Alma Mater Universitas,
Contubernium Staringelianum,
maturo ejus subdidit regimini;
ubi aliquot annorum Senior
florem juventutis sic excoluit:
ut ubiq; optimum bonæ famæ odorem spargeret;
cujus principale regimen erat,
primam sapientiam timere DEUM revereri majores,
de aliis optimè, de se humiliter sentire;

seriò

serio intimare.
Ad magna natum animum ejus vidit
Alma Mater Univesitas,
negotiorum comisit molem:
quam indefessus sustentabat viriliter, gerebat fortiter.
Non sanitati, non vitæ parcebat,
quæquæ adversa imminentia pericula
plusquam centoculus Argus
prævidebat prudentissimè, circumspiciebat solertissimè,
utpotè
Vice-Procurator Universitatis vigilantissimus.
Plus sibi conservationem Honoris Academici pendebat,
quàm felicitatem & sortem suam;
cujus integritati
totum esse & vivere consecravit.
Et hinc est,
quòd corda omnium in triumphum duxit,
cordium & animorum sæpiùs gloriosus triumphator.
Domui Minori
totius Universitatis Virorum Seminario
suffragantibûs meritîs dum cooptatur,
eandem semper affectûs magnitudinem detinuit,
inter Minores Collegas
pietate sublimis, virtute conspicuus.
Collegii Minoris Professionem nactus,
majoribus laboribus factus intensior:
maxima utiq; minimis juvantur,
ex atomis montes tumescunt,
ex indivisibilibus quantitas crescit,
minimi radii & maximam Solis adaugent lucem.
Officia quæq; peragebat laudabiliter,
concreditam spattham ornabat gloriosè,
omnem laborem transcurrebat honorificè.
Stabit immortalis laus
STANISLAI,
sed stabit eò perenniùs,

quò diutiùs Jagellonicus florebit Manipulus;
quem,
Contubernii Regio-Jagelloniani Seniorarum tenens,
exemplô vitæ & eruditionis adeo fæcundavit,
ne unquam optimæ spei herbam porrigere
in florem Ecclesiæ, in decus Patriæ,
in ornamentum Almæ Matris desineret.
Quid ultra vis calame ?
ad Phœbum purpuratum accedis,
cave ne coruscantiũ animi ejus qualitatũ splẽdore perstringaris.
vehemens enim sensibile lædit sensum:
satìs Tibi,
dum à longe Purpuratum adorabis Principem,
scilicet:
Decanum Facultatis Philosophicæ.
Purpuram hanc
sicut alacri excepit humerô, sic fortiore gessit,
sub tanto munere & onere
indesessus Athleta,
docta reassumebat certamina,
qui semper fuit animô victor.
Arena Philosophica pretiosa illi erat saburra,
cui non nisì ex studioso sudore coalescebat Hydaspes,
& inter severiores, quas sedulitas fronti inaravit rugas,
aurea excrescebat messis.
Erudito sine cruore certamini
utrâq; ùt olim Apollo ad Amyclæas pugnas porrexit dexterã,
dum toties Victor, quoties animorum Triumphator.
Idem ei in certando erat conatus:
qui Stentoris cum Mercurio, aut Arachnes cum Minerva;
in cursu non lassatus, in statione non fatigatus,
in erudito navigio fortunatissimus.
Purpura Decanalis
Auspex ei ulteriorum erat honorum,
qui pulchrioribûs de illo contendebant dissidiìs,
quàm de Pòëtarum Principe Homero
Græci & Athenienses certabant.
Exe-

Exedræ ambiebant Tulliū,
Cathedræ Divinum volebant Platonem,
Areopagus Consum sibi poscebat,
& evasit victrix gladió armata Themis,
dum Illum, qui multos erudiebat ad justitiam,
justitiæ Augustal inhabitare fecit;
aliàs Collegio Iuridico emeritus admotus Professor,
ubi non aliam Professionis regulam nactus:
nisì abdita rerum arcana recludere,
quæq; difficillima facilitare, insolubilia resolvere dogmata,
solus integerrimus Canonicæ veritatis Observator.
Phæbo devotum Caput
Encyclopædiam eruditionis non ostentationi sed utilitati publicæ impendit.
Lauream Juridicam
quam de condigno meruerat, assiduo irrigabat sudore,
& ideo florentiorem reddidit,
Actorum Rectoralium toties assumptus Notarius.
Revoca quæ scripsisti calame!
STANISLAUS
corda omnium in triumphum duxit:
quem ultima vitæ suæ die non poterat oblivisci
Perillustris olim & Reverendissimus Dominus,
D. M. ANDREAS
KRUPECKI,
V. J. Doctor & Professor, Ecclesiarum, Cathedralis
Cracovien: Canonicus, Premykoviesis Præpositus,
Senior Pater & Pro-Cancellarius Vniversitatis,
& cujus quotidianam in se promptitudinem experiebatur,
etiam ultimam voluntatis suæ executionē moriendo, ei reliquit.
Quid dicendum
de magna ejus eruditione & virtute?
quæ semper ad magna tendebat,
summum cæpit, summum nunquam deseruit,
magnificentiùs semper in altum eluctando.
Et bene:
non amant nisì grandibûs exerceri ingentes animæ,
Alexander Reges æmulos poscit;

STANISLAUS

Majoris Poloniæ ingressus Hemisphærium,
ut magnis virtutibus ejus par corresponderet Clima.
Scilicet ab Alma Vniversitate destinatus
Coloniæ Posnaniensis Dignissimus DIRECTOR,
officium sat arduum & onustum
intrepidâ animi suscepit constantiâ,
meminens Almæ Matris commodo
vitam totam, nedum vires debere.
Signatum aggreditur iter,
sciens benè:
Mentes Cœlo natas uno lare claudi nescire,
sed Solis instar se in Orbem circumagi.
Quantum ab illo laboratum est:
ut Lubransciana Pinus in suo conservaretur vigore,
& benedixit ei DEVS Cruce geminata
STANISLAI,
quòd in illas excreverit frondes:
quæ Palladi in hastas, Mercurio in Caduceos, Regibus in sceptra sufficiunt.
Videre erat suavem illius in dirigendo potestatem,
sollicitum Professoralis laboris amorem, & quanquam sæpesæpiùs
congestæ curarum multitudines,
adversiq; fortunæ casus mentem molestabant ejus,
manum tamen de tabula in reficiendis laborantium viribus non subtraxit.
Premebat eum adversa valetudo, ille omnium curabat salutem,
quamvis viribûs lassus, in promovendo loci cômodo non concidebat animô,
& veluti robustus Atlas
vergenti ad ruinam Coloniæ bajulos supposuit lacertos;
pro Iuribus Academiæ ad Tribunal Regni Petricoviense obstabat fortiter,
ùt olim Solon pro Athenis.
Plures ejus sub Climate illo gestas virtutes
recensebit posteritas,
quomodò cunctorum arrectîs vocibûs
PRZEBENDOVIUM & SZOŁDRSCIUM
Præfecturam Majoris Poloniæ ingredientes Generales
applaudentî salutavit animô,
quomodò
JOANNES TARŁO
Episcopus Posnaniensis,

gratis-

gratiosum se illi exhibuit;
FRANCISCUS KAZNOVIUS
Episcopus Domitiopolitanus,
Suffraganeus & Officialis Generalis Posnaniensis,
probatissimam ejus in omnibus prudentiam plurimi æstimabat.
Ast
dulciùs ex ipso fonte bibuntur aquæ,
unde reducem ad fontem limpidissimum
ex quo doctas hauriebat lymphas,
comite sequamur passu
STANISLAUM.
Totum se negotiis impendit redux,
Iuris Canonici & Civilis intimabat regulas,
ipse Canon & Regula virtutum.
Vitæ exemplis sublimem Theoriam Iurium felicî praxî adjunxit,
ut Processum, Canones, Casus Conscientiæ Stylum in numerato habuerit,
Assertor virtutis zelosissimus,
Utriusq; Juris laboriossimus Professor
in dies sibi geminabat gloriam.
Ergo Patrum annuente consensu
quem magni in Orbe literario probârunt labores,
Lauream in Jure Doctoralem sumpsit,
etenim dignus erat: ut etiam sinè instantia tantum occuparet honorem,
pro quo ipsa perorabant merita:
nam illis tantùm precariò venit honor,
quibus nullum à virtute suffragium.
Plaudebat sibi Doctoralis honor,
quòd tantum nactus fuerit Virum
à cujus mentis bilance totum Astrææ pendebat æquilibrium.
Optimus Doctor Juris,
cujus Judicium vitia quævis vitabant;
Assessor Iudiciorum Consistorii Generalis Cracoviensis Prudentissimus,
præter rectefactorum & virtutum alii non adstipulabatur causæ,
ejus mansvetudo, Comitas, vita exemplaris, prudentia,
quodam magnetismô omnium corda ad se trahebat:
qui in Majores reverentiâ, in pares affectu, in omnes affabilitate certavit.
Quæ recensebit ætas? quanto erga Te ferebatur affectu,

Gentis Togatæ Gloria & Majestas prima
Magnifice Perillustris & Reverendissime Domine.

M. JOANNES LUKINI,

V.I. DOCTOR & PROFESSOR, Collegii Iuridici totiusq; Vniversitatis SENIOR PATER, Ecclesiarum, Cathedralis Cracoviensis CANONICE, Collegiatarum, Vislicienfis PRIMICERIE, Sanctorum Omnium CANCELLARIE, Sławkowiensis PRÆPOSITE, Contubernii Regio-Iagelloniani PROVISOR, Studii Generalis Vniversitatis Cracoviensis Vigilantissime RECTOR,

Promotor ejus dignissime,
Ille Cor tuum, tu ei Gratia eras,
Tu eum laureâ in Iure Doctorali, ille te adoreâ coronabat votorum.
Affectus vester
vitæ illi immortalis indiciũ, Tibi perennantis gloriæ symbolũ erat:
& sicut in vita quæq; prosperrima exoptabat,
ita & nunc exorabit in Cœlis,
ut Charites, annos quos ei fata negârunt,
Tibi JOANNI addant,
Trinæ Coronæ ad decus, Orbi literario ad Columen.
Loquetur id sera posteritas,
quali integerrimô certabat animô, & tecum
Perillustris Clarissime & Admodùm Reverende Domine

D. M. ADALBERTE MICINSKI,

Vtriusq; Iuris DOCTOR & PROFESSOR, Ecclesiarum, Collegiatæ Sanctorum Omnium Cracoviæ CVSTOS, Parochialis in Luborzyca PRÆPOSITE.

Vna vobis mens, unus animus erat,
nullaq; dies sinè linea fuit:
quâ mutuum in vos non protenderetis affectum.
Inviderent gratiæ, si viderent: quãta erga vos ferebamini teneritudine cordis,
alter alterius implebat vices,

quia

quia gradu tantùm non animô diſtincti vixiſtis,
Ejus negotia ſemper erant ad mentem tuam
hinc & ultimam voluntatem ſui, altiſſimo Tui ſubiecit ſenſui,
voluitq; inclinatos ad vota tua haberi Cælos, optans ex animo:
ut in Te ad ſolatium Gentis Togatæ, ad dulce præſidium noſtrûm
Cæleſtia chariſmata influant copioſiſſimè.

Quid de Vobis dicam?
quos & vitæ, & doloris Concollegas habet;
ceſſabit penna, ſubſiſtet Stylus,
affectus ejus erga vos tota æternitate perennabit.
Ex umbra menſuratur Gigas ex radiis cognoſcitur Phæbus,
ex magnitudine affectûs, quantitatem virtutum ejus inferamus.

Pietas ejus in DEUM
ſolida, exemplaris, teneritudini conſcientiæ innixa,
circa res Divinas zeloſa, in Sacros uſus viſcerata,
totus in Roſis Mariæ, totus in Purpura commorabatur Crucis.
Vnde cor ejus nihil magis pungebat,
quàm neglectus Sacrorum,
quàm frigida & remiſſa circa animarum ſalutem oſcitatio.
Ore verax, animo verecundus, manu liberalis,
in quasvis Divorum Ædes munificentiſſimus fuit,
Eccleſiam D. M. MAGDALENÆ Cracoviæ,
reſtauravit ſolidiſſimè, adornavit elegãtiſſimè cõtexit cõmodiſſimè.
Verè animus ejus ipſe ſuæ immortalitatis Architectus,
cui Altaria Sanctorum in hac Eccleſia fundata,
altiores gloriæ erigunt colles,
Bona corporis ejus bona non ejus erant,
totum ſe ad negotia Eccleſiæ Koniuſzenſis conſecravit,
curam impendit, laborem adhibuit, ut ad priſtinum rediret ſtatum;
& effecit:
jura vindicavit, ſupellectilem Sacrã comparavit,
ædificia nova conſtruxit,
novus ædificii gloriæ ſuæ Amphion,
non Thebas ſolùm, verùm corda omnium in plauſum & amorem traxit.
Bona fortunæ ejus bona publica erant,
nemini non patentes exponebat aures, nemini non ſuccurrebat.
Teſtatur largas STANISLAI impenſas
elegantiſſimum CC. DD. Iureconſultorũ Lectoriũ
ad quod exornandum & ſollicito labore, & Ære ſuo acceſsit

omnes munificentiam ejus concelebrant,
qui etiam in Ecclesiam Collegiatam SS. OO. profusissimus fuit;
quam variis illisve, pro quibus Indus & Arabs sudavit,
pretiosis distinxit apparatibus.

Quid memorem?

quantum pro honore DEI, pro gloria Ecclesiæ fecit, sudavit, & alsit
sufficit illi ad gloriam,
quòd factis non annis vixit.

Vixit sibi ad gloriam satis,

licet Vniversitatis, Amicorum, & Clientum non satis desideriis.
utinam officiò vitæ suæ diutiùs functus fuisset,
meritissimus Vniversitatis Pater,
Literatorum Mecænas, Clientû Protector, indigentium Benefactor.
Cecidit qui plurimos erexit ad gloriam,
corruit, qui multos sublevavit ab inopia,
obiit, qui multis profuit ad vitam.

Flos Virorum

adunca Libitinæ succisus falce,
qui omnes virtutum & meritorũ replebat odore,
& adhuc tempore verno,
qui se ad communes omnium explicabat usus.

Ultimis Martii

ut illi post certamen vitæ in concordia & pace, Corona reponeretur Cœlestis.

Post Dominicam Palmarum.

qui semper in labore Academico vegetissimus palmã gloriæ retinuit immortalis.
Dolendum! qui pauperes alebat, subveniebat egenis,
ante Cœnam Domini in Domum Æternitatis abiit.
& dum Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech
cruentum immolaturus erat Sacrificium, moritur

STANISLAUS.

Errârunt fata!

à communi fatorum falcidia lege exemptus

Doctor Juris;

ad immortalem Siderum Patriam de mortali cinere
felicior ex Monte Konjusza evolavit Phænix,
verè: re & nomine STANISLAVS Divo Indigeti suo compar,
Ille in Monte Rupella,
hic in Monte Konjusza excessêre è vivis.
Caput ejus Cœlesti cogitatione plenum erat,
unde totus secessit in montem,

ut

ut acceptabile DEO faceret tabernaculum,
& Pastor bonus pro grege suo oraret ferventiùs.
Ingeniorum adamas erat,
decuit, ut adunca fatorum de Monte Konjussa erutus falce,
æternitatis insereretur annulo.
Mons hic, verè electionis locus,
in quo elegit DEVS ad Cœlestem Coronam
STANISLAUM,
ut qui plurimos erudiebat ad justitiam
in perpetuas fulgeret æternitates,
Verus Viator fuit,
ad Patriam Visionis ut citiùs perveniret,
Montem Koniusza ascendit,
& sic Montem hunc primò habitatione, dein morte illustravit sua,
detractaq; mortalitatis suæ nube publico exposuit Orbi,
se propiùs ad Regionem immortalis gloriæ
& Montem Visionis Æternæ accessisse.
Montem hunc, Montem Calvariæ, ni Visionis foret, dicerem:
ubi Pastor vigilantissimus gregis sui vitam posuit.
Revertere tandem de Monte
& jam illacrymare Calame!
Almam Matrem Filius, Vniversitatem Pater Emeritissimus,
Pastor gregem vigilantissimus, Patronus Clientes fidelissimus,
Protector pauperes amantissimus,
quos paulò ante verbô, exemplô, opibus & ope,
ornarât, defenderat, foverat, aluerat æternùm deseruit;
& quem omnes devotis comitantur precibûs;
hunc tu quoq;
in Montem Visionis Æternæ sequere,
& felicem de Collegio mortalium ad Consortium Sanctorum
circa Phase Domini transitum
apprecare.

LESSUS

super dolendis fatis
Perillustris olim Clarissimi & Admodum Reverendi Domini M. STANISLAI KVTLINOWSKI *U. J. Doctoris & Professoris &c.*

MOns Konjusensis Visionis est Culmen
Vitæ perennis atq; lucis æternæ:
Vbi stolam immortalitatis indutus,
Mortalitatis exuit lacernam Vir
Vtroq; Iure Doctor inclytus, cûi vix
Parem futura sæcla proferent mundo.
Replevit Orbem Litterarium factîs,
Expresſit in se Sanctitatis Ideam;
Fuitq; liberalitatis Exemplar:
Effusus Ædes in Sacras ferè totus,
In eruditæ Pallados decus largus,
Musas Paternas dote propria juvit,
Iuris Lycæum plurimùm decoravit.
Hunc fata mortis nube lugubri cinctum
Obnubilare moliuntur in Monte
Inefficaciter: potentior namq;
Virtutis inclytæ nitor velut Solis,
Et illibatus conscientiæ candor
Adinstar albicans nivis STANISLAVM
Clarere fecerat terram repellendo
Caliginem. Insuper mori vetat Musa
Vnquam Virum eruditione præclarum,
Suo recedit quando Colle, Koniusʒæ
Iugum petendo, concitatiori vix
Gressu subintrat, autumat sibi semper
Bonum morari Visionis in Monte
In quo KVTLINOWSKI STANISLAO dignum
Famæ perennantis facit tabernâclum.
Cui maligna fata denegant vitam,
Hic singulornm cordibûs prout vixit,
Superstes extet, atq; vivat æternùm.

